



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

Cap. 1. de Tribubus Rimanis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

DIDACI
COVARRUVIAS
 A LEYVA TOLETANI, VA-
 RIARVM EX IVRE PONTIFICIO,
 REGIO, ET CÆSAREO RESOLVTIONVM,
 LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Quot, & quæ fuerint olim Romæ Tribus: & Sequolæ IC responsum de legato Tribus, quo in sensu sit accipiendum.

SVMARIA.

- 1. Roma in Tribus rusticæ & vrbanas triginta quinque olim diuisa fuit. & ibidem unde Tribus dictæ.
- 2. Tribus locus ex Plinio, ac rursus Plinius ex Macrobio expenditur.
- 3. Romana Tribus quæ nomina olim habuerint.
- 4. Valerij Maximi, & Titij historici quædam tractatæ obiter.
- 5. Quæ fuerit prærogatiua Tribus.
- 6. Atria quæ Tribus habuerint: & earum nomina ex Græcæ auctoribus.
- 7. Quod ius liberti apud Romanos ex manumissione habuerint, & de Latinis ac Vestitijs libertis.
- 8. Liberti olim in Tribu Romana censabantur: in eaque suffragium ferebant.
- 9. Legatum Tessera explicatur.
- 10. Quam utilitatem liberti attulerit Tribus legatum apud Scæuolam.
- 11. Ius italicum quia apud Iurisperitos.
- 12. Intellectus ad l. Titia. Seco. & ad l. mortuo bono. §. 1. ff. de lega. 2.
- 13. Viri clarissimi qui dicuntur.
- 14. Hæres ex testamento ad factum obligatus, cogitur præcisè facere.

Ratronus liberti statim tribum emi petierat, libertus diu moram ab hærede patroni passus est, & decedens heredem reliquit clarissimum virum. Quæsitum est, an tribus æstimatio heredi eius debeatur: respondi deberi. Idem quæsitum, an & commoda, & principales liberalitates, quas libertus ex eadem tribu vigæ in diem mortis suæ consecutus fuisset, si eia tribus secundum voluntatē patroni sui tunc comparata esset, an vero vlturæ æstimationis heredi eius debeantur: respondi, quidquid ipse consecutus esset, id ad hæredem suum transmittere. Hæc Scæuola lib. 17. digestor. & l. 35. de lega. 3.

Et tunc cum patronus voluerit, ipsius impensâ eius liberum in aliquam tribum Romæ adscribi: vnde multa commoda ex publicis largitionibus, & Cæsarum liberalitatibus consecutus foret: nec hæres patroni hoc fuerit executus, mortuusque sit libertus relicto herede, qui vir clarissimus erat, & in tribu censebatur, minimeque indegeret emptione tribus: Accursius, & alij non satis intellexerunt, quid in hoc responso Scæuola adocuerit. Qua ratione, licet breuius posset compendio quodâ huius loci interpretatio explicari: nos tamen conabimur de Romanis tribubus, aliquot hoc in loco adnotare, quo expeditius Iurisperituli, & veteres historici, à quibus non raro mentio fitalicus Romanæ tribus, plane intelligi valeant.

Fuere autem Romanæ Tribus numero 35. ex Cicerone contra Rullum, & Philippica 6. & in 3. in Verrem actione, atque illic Asciano Pediano, Tito Lino lib. 1. & lib. 6. item lib. 3. ac rursus lib. 5. decad. 5. & Plutarcho in Gracchis. Si quidem Romanus Ager primum diuisus est sub Rege Romulo in partes tres, quæ Tribus ea ratione appellata fuere, quod tres essent: Tatienfis, Rammenfis, & Luceres: auctore M. Varone lib. 4. de lingua Latina. idem scripserunt Dionysius lib. 1. Antiquit. & Plutarchus in Romulo. Ex quibus & illud constat, quamlibet ex his partem in alias decem, quæ Curie

dicerentur, diuisam fuisse. Huic nominis rationi accedit & Columella lib. 5. cap. 1. quo in loco, inquit, sicuti tribus dictæ primum à partibus populi tripartito diuisi, quæ tamen nunc multiplicatæ pristinum nomen possident. Idem Atconius obseruauit, qui tamē falso existimat, tribus Romanas à raris Sabinis nomina accepisse: cū hoc non de tribubus, sed de curijs Liius libro primo scripserit, & ne hoc quidē placuerit Plutarcho in Romulo, quāuis Seruius in lib. 8. Aneidos scripserit, curijs nomina fuisse imposita triginta Sabinarū, quibus iam enixis interuenientibus pax facta fuerit. sed & tribus à tributo dando nomen accepisse, idē Liius tradidit, illud adiciens, Romulum sane in triginta curias popululum Romanū diuisisse, quod & Pomponius Iurisperitus retulit in l. 2. de origine iuris. vt obiter mirer, Festum & Budæum dixisse, Romæ fuisse triginta quinque Tribus, quæ & curiæ dictæ fuerint: cum Tribus à curia maxime differret, esse setque curia apud Romanos decima Tribus pars ex Romuli diuisione, qui tres Tribus constituit, & earum quamlibet in decem curias diuisit, quas Græcè dici *φύλαξ*, auctor est Dionysius in libro secundo, aut *φύλαξις*, vt asseuerat Appianus libro tertio de bellis civilibus. tametia apud Græcos *φύλαξ* tertia Tribus pars esset: quod & Homeri interpretes adnotauit Iliad. libro nono. Cicero tamen libro. 2. de officiis, quos Græci *δύναμις* id est, *vicæ*, dixere, curias esse censet: ita enim de Cimone, qui à vico Lacia Laciades dicebatur, scripsit: Theophrastus quidē scribit, Cimoneum Athenis, etiam in suos curiales Laciades hospitem fuisse. Ita enim instituisse, vt omnia præberentur, quicunque Laciades in villam suam diuertisset. Hæc Cicero. ea fortassis ratione, quod ex Herodoto in Terpsichore olim qualibet Tribus Atheniensis ex decem vicis qui *δύναμις* dicebantur, constaret: sicut & Romana ex curijs decem. Demum Seruius Tullus urbem in quatuor Tribus diuisit: pagos autem rusticorum in triginta & vnā. quod idem Halicarnassæus libro quarto optime tradidit, asseuerans à locis quatuor vrbanas Tribus dictas esse Palatinā, Suburbanā, Collinā, & Esquilinā: quorū nomina M. Varro, Titus Lilius, & alij meminere. Reliquas vero Tribus præter has quatuor vrbanas, extra Romam in pagis fuisse Marcus Varro sentire videtur, adnotante Petro Victorio libro 16. Variar. edition. cap. 24. sed & Lilius libro. 9. inquit: Quintus Fabius simul concordia causa, simul ne humillimorū in manu comitia essent, omnem forensē turbam, excretam, in quatuor Tribus coniecit, vrbanasque eas appellauit. Hæc Lilius, non quod tunc primum habuerint initium quatuor vrbana Tribus, quæ ex eodem auctore libro 1. à Seruio Tullo fuerant instituta, sed quod reliquæ Tribus essent rusticæ, & laudatissimæ eorum, qui *ruvra* colebant. quod Plin. di. 18. cap. 3. probat, dum inquit: iam distinctio, honosque ciuitatis ipfius non aliunde erat. Rusticæ Tribus laudatissimæ eorum qui rura haberent. Urbana vero, in quas transferri ignominia esset, desidię probro. Itaque quatuor solę erant à partibus vrbium, in quibus habitabant, Suburbana, Palatina, Collina, Esquilina. Nundinis urbem reuisitabant: & ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica auocaretur. Hæc Plinius, cuius locum obiter expendat lector ex Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 16. fortassis enim legendum erit: Et ideo comitia nisi nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica auocaretur. Etenim si comitia fieri possent inter nundinis, rustica plebs extra ordinem auocaretur quod Plinius negat: Rursus ex eodem Macrobio forsan videbitur,

tur, nihil fore immutandum, ne rustici auocarentur à legibus recipiendis, quæ trinundino dabantur, utque ipsis facultas foret componendi lites, aut denique transigendi, quod Alexander ab Alexandro, libro 4. dierum genial. capit. 3. Adhuc tamen lectio, quam nos aduersus vulgo receptam obtinuimus, patrocinantur ipse Macrobius, Halicarnass. lib. 7. & Collumella in præfatione de re rustica. vandè nihil temere mutandum esse censemus, sed diligenter obseruandum, quod Gruchius, Sigonius, & Paulus Manutius hac de re adnotarunt. Ex his vero, quæ de Tribubus Romanis adnotauimus, intelliges quæ de censoribus scribit Lilius libro quinto, de cædis quinta. Hoc, inquit, cum ita seruatum esset, negabat Claudius suffragii lationem iniussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini vniuerso adimere posse. Neque enim si tribù mouere possit, quod sit nihil aliud, quam mutare iubere Tribum, ideo omnibus quinque, & triginta tribubus emouere posse, id est, ciuitatem, libertatemque eripere, non ubi censetur finire: sed censu excludere. Non me latet, eundem Lilius libro secundo memoria prædidisse, Consulibus App. Claudio, & Publ. Seruilio Romæ Tribus vnam & triginta factas fuisse: libro sexto, anno ferme tertio post Romam à Gallis captam Tribus quatuor ex nouis ciuibus additas, easque triginta quinque Tribuum numerum expleuisse. Potius tamen sequor Dinyssium, ex quo à Seru. Tullo Romam in quatuor Tribus vrbanas, agrum vero Romanum in vnam, & triginta rusticas diuisum fuisse, superius adnotaui. Quod si quis sequi malit Lilius sententiam, non admodum refragor, modo sit illud ex omnibus is fere authoribus constitutissimum, Romanam urbem in quinque & triginta Tribus olim diuisam fuisse, quarum quatuor vrbanae, reliquæ omnes rusticæ: censentur, nec numerum maiorem vnquam apud probatæ fidei auctores legi. Nam quod idem Lilius, postquam libro 6. dixerat, triginta quinque Tribus eo tempore fuisse hoc numero expletas libro 7. duas, libro 8. duas, libro 9. duas, libro 10. duas, & Lucius Florus in Epitome libro 9. duas Tribus additas esse commemorant, ipse interpretaretur, has tribus iam equidem veteres ciuibus, & tribubus auctas fuisse, vel ex rusticis pagis in urbem translatis: alioqui plures essent Romæ Tribus, quam triginta quinque. quod Lilius, Cicero, & aliis probatissimis auctoribus admodum repugnat: tametsi Lælius Taurellus de militiis ex casu existimet, urbem Romam in Tribus diuisam esse, initio quidem vnam, & triginta, deinde & supra quadraginta ex secundo & sexto, nec non septimo, nono, ac decimo Titi Lilius libris, cuius demum etate ad quinque & triginta redactæ essent: ut primo eius libro in actis Seruii Tulli Regis proditum est. Vbi que etiam Lilius subindicat, Romam eius etate, & multo prius, nempe à tertio anno post urbem captam à Gallis in triginta quinque Tribus tantum diuisam fuisse: quod ex libro trigesimo tertio constat. Nam L. Furio Purpureone, & M. Claudio Marcello Consulibus, bello Macedonico cum Philippo anno ab urbe condita D. LVIII. ea inquit, rogatio in Capitolio ad plebem lata est, omnes quinque & triginta Tribus vti rogatæ, iusserunt. Idem libro 1. sensit, post expletum numerum Tribuum triginta quinque, ad eius ætatem nullam in numero isto mutationem contigisse. Quod ex Cicero & Padiano itidem probatur. Et quia nominis Tribuum, quorum Lilius ibi meminit: ad triginta quinque veteres Tribus communi doctissimorum hominum opinione referantur. Sed & Lucius Florus libro nono commemorat, tunc adiectas fuisse Tribus Velinam, & Esquilinam: cum auctoribus Varrone & Dionysio, multo ante initium habuerit Esquilina Tribus. Qua ratione par est, has duas Tribus adiectas esse, non quod tunc initium habuerint, sed quod nouis fuerint ciuibus auctæ: quo in sensu, & quæ Lilius post librum sextum scripsit, accipienda fore existimaueram, priusquam opus elegans Nicolai Gruchii de comitiis legissem: is etenim libro 7. validis profecto coniecturis censet, apud Lilius libro 1. legendum esse: Tribus vnam, & viginti, rursus apud eundem libro 6. viginti quinque, non triginta quinque ex Dionysio libro 7. in M. Coriolani iudicio, qui ascuerat eo tempore, vnam & viginti Tribus tantum Romæ fuisse. qua ratione obseruata omnia conuenire videntur, quæ de Tribuum numero à veteribus auctoribus traduntur, præter Dionysii locum: etenim is auctor libro quarto Venonio accedit, qui ut ipse interpretor, scripserat, à Seruio Tullo agrum Romanum diuisum fuisse in vnam & triginta Tribus

Quibus quatuor vrbanae adiectæ triginta Tribus efficiunt. Censet enim Gruchius, vel sibi parum constare Dionysii, vel locum illum in numeris corruptum esse: atque ita emendandum, ut probet, à Seruio Tullo constitutas fuisse viginti Tribus vrbanas, & rusticas: vel, ut ipse opinor, agrum ab eo diuisum in sedecim Tribus: quibus adnumeratae vrbanae, & Claudia Tribus efficiunt numerum vnum & viginti. Sed etiam hæc vera sunt, apud Florum libro 19. non est legendum, Esquilina, quia olim vetus erat ex vrbanis quatuor: sed supra ut censet Gruchius, vel Veturia. quod mihi magis ardet, forsitan Mentina [sive Menenia] ex Cicero, Epistolis. Ex quibus lector expendere poterit, quid hæc in re sit magis veritati consonum. Sunt etenim multa apud Lilius, Dionysium, ac Florum mutanda. Sed & Diodorus Siculus libro 19. omnino sentit, & Falerinam, & Ofentinam tribus eo anno his, quæ prius Romæ erant, additas fuisse. (Sed ut constet, quam incertæ hæc in re referre omnia sint, obseruandum est, Apianum libro 1. de bellis civilibus, scripsisse, bello Marfico maxime urgente, Italos fere omnes à Senatu ciuitate donatos, ex hisce nouis ciuibus, decem Tribus adiectas triginta quinque veteribus fuisse, ut tandem numerus omnium Tribuum fuerit quadraginta quinque. Sed Velleius Paterculus libro 2. eandem rem tractans scribit, nouos ciues in octo Tribus veteribus acceptos & adscriptos fuisse, vel suffragii ferente: ne tamen potentia eorum, & multitudo veterum ciuium, dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficiis quam auctores beneficii, Cinna in omnibus tribubus eos se distributum pollicitus est. Hæc Paterculus, ex quo, & Epitome Lilius libro 8. & 84. Socios omnes, quibus Romana ciuitas data fuit in omnes, distributos fuisse veteres tribus suspicatur Carol. Sigonius libro 3. de antiquo iure Italiae, ca. 1. Dion vero libro 44. tradit, Tribus quandam ex veteribus Iulia à Senatu in honore Augusti [Iulij Cæsaris] appellatam fuisse. [Idem in Flauia & Vespasiana tribuum nominibus in honore Vespasiani & Traiani factum fuisse scribit idem Sigonius libro 1. de iur. ciuit. Rom. c. 3. & id adnotari posse ex Dionis loco scribit Onuphrius in ciuitate Romana pag. 540.] Ex quibus illud constat, Tribus veteres ex omnium testimonio triginta quinque fuisse ad Cicero, Lilius, & etatem: quarum nomina ex Lilio, Cicero, Marco Varrone, L. Floro, & aliis auctoribus, quorum paulo ante mentionem fecimus, constare videntur, licet de vna & altera sit cõuersionis. Alia vero nomina, quæ in scriptis, & quorundam testimonio traduntur diligenter, & erudite ab Onuphrio Panuino, vel ad veteres Tribus, quarum nomina mutata fuisse in principum aut alicuius gentis fauorem, vel ad eas, quæ 35. veteribus additæ fuerint, pertinere videntur, qua in re nil, quod certum sit, asseuerare possum, habere & apud Romanos Curie propria nomina: Nam & Curie Trifata, item Trifata, Forensis, Vellienfis & Veltie meminit Festus Pompeius & Faucis Lilius libro 9.

Tribus vero Romana propria quædam apud auctores nomina habere, quæ hoc in loco libentissime adscribam: existimans, illud obseruatione dignum esse, quod Aconius tradit 2. in verrem actione, Moris, inquit, fuit, cum aliquis cuius Romanus ostendendus esset, significaretur aut prenominis suo, aut à nomine, aut à cognomine, aut à cognatione, aut à tribu, in qua censebatur, aut à curia, aut à censura, aut si erat Senator, eques Romanus à curia sua. Sic alibi ait: L. Claudium Palatinum. Hæc tenus Aconius. His ad stipulatur Quintilianus libro 7. c. 4. Propria liberti, quæ nemo habet, nisi liberti, prenomen, cognomen, nomen, tribum habet hæc adiectus. His sane verbis Quintilianus fere idem cum Padiano tractat, quæ longius ipse persequar, siquidem Alexander ab Alexandro libro 1. dierum genial. capit. 17. vir aliquo diligentissimus, non satis diligenter rem istam mihi indagasse videtur: qua ratione & Volaterranus notari poterit libro 6. capit. 1. Diligenter tamen rem istam expendisse mihi videtur Paulus Manutius in Cicero, familiares epistol. cuius adnotationes ingenue fateor, anno vno postquam hæc scripseram me primum legisse.

Emilia tribus. Huius meminere Lilius libro 8. de cæd. 4. Cicero ad Atticum, epistola 29. Basilicam habeo, non villam, sic quænt Formianorum. At quam partem Basilicæ? tribum Emiliae, sed omitto vulgus.

Anienfis tribus, cuius meminere Titus Lilius libro 10. de cæd. 1. L. Florus in Epitome libro 10. Cicero pro Planco, & ait, inquit, prioribus comitiis Aniensem à Plotio idem Cicero

Per Epistolam familiarium 8. Epistol. 8. L. Atteius. L. F. An. Capito.
 id est, ex tribu Anienſi. rursus illic: L. Attilius. L. F. An. Ca-
 pito. quo in loco miſere ſe torquent Rutilius, & Camera-
 pitus. (Sed & apud Liuium lib. 4. decad. 3. dum vulgo legitur:
 Eo die cum ſors prerogatiue Anien. iuniorum exiſſet.) ex-
 tat inſcriptio apud Wolphgangum Lazium, libro 5. de Rom.
 Repub. c. 22. cuius initium eſt:

M. VIBIVS C. F. ANIENſI.

Et capit. ſequenti altera,

TER. EXOMVVS. TER. F. AN.
 VER. MIL. LEG. XVI. AN. XI.
 STIP. XVI. H. S. E. AVRELIVS.
 D. S. P.

*Callina Tribus conſtat ex teſtimonio Mar. Varronis lib. 4.
 de Lingua Latina, Plinij lib. 18. c. 3. Dionyſij lib. 4. Roman. antiquit.
 L. Flori in Epitome, lib. 20.*

*Cornelia Tribus. Cuius mentio extat apud Tit. Liuium lib. 8.
 lib. 4. & marmoream inſcriptionem, que Matheliſe apud
 Italos legitur, cuiusque mentio fit in eo libro, qui de inſcrip-
 tionibus his fuggerorum impenſis typis traditus.*

C. ARIO. C. F. COR.

CLEMENTI. MILITI.

IX. COH. PRAT.

Reliqua eiuſdem inſcriptionis miſſa facimus, ne preter
 noſtrum inſtitutum in his plus æquo immoremur. Caius
 legitur Arius cuius Romanus ſignificatur, à prenomine, à
 nomine familiae, à patris prenomine, & à tribu, atq; cognomi-
 ne, & aliis, quæ quis poterit ex eadem inſcriptione facil-
 ſime adnotare, præſertim obſervauit cum fuiſſe ex Tribu
 Cornelia.

*Claudia Tribus ex Liuiio, qui lib. 2. de Ap. Claudio inquit.
 Nam Ap. Claudius, cui poſtea Appio Claudio fuit Romæ cog-
 nomini, cui pacis ipſe author à turbatoribus belli preme-
 retur, nec par factioni eſſet, ab Regillo magna clientum
 comitatus manu Romam tranſfugit. His ciuitas data, ager-
 que trans Anienem, vetus Claudia Tribus, additis poſtea
 nouis Tribulibus, qui ex eo agro venirent, appellata. Dio-
 nyſius libro quinto, de eodem Claudio: Senatus, populuſque
 ipſum in Patricio adlegit, partemq; vrbs ei conceſſit quan-
 tum voluiſſet, vt domos ſibi & ſuis edificaret: agrumque ei
 aduicere ex publico inter Fidenas, & Pincetiam, vt illum
 fore inter ſuos diuideret, ex quibus poſtea tribus facta eſt,
 que adhuc hac ætate Claudia vocatur. Hęc Halicarnæſus.
 Virgilius libro ſeptimo Aeneidos.*

Eccē Sabinorum priſco de ſanguine, Magnum

Agmen agens Clauus, maenique ipſe agminis inſt ar,

Claudia nunc à quo diſſunditur & tribus & gens.

*Cruſtumina Tribus, aut Cluſtumina: nam & per illegitur.
 Huius meminit Cicero in oratione de Plancio. quid cum
 Cruſtumina? idem pro L. Cornelio Balbo. Obiectū eſt etiā,
 quod in Tribum Cruſtumina peruenit. Titus Liuius li-
 bro 2. decad. 5. Permiſſū, inquit, omnium ita locutus fertur Sp.
 Ligulinus Tribus Cruſtumine. Ex eodem inſcriptionum
 libro conſtat, Interamnæ in platea extare marmoream in-
 ſcriptionem, cuius hoc ſit initium:*

A. POMPEIO L. F. CLV.

*Eſquellina Tribus ex Varrone libro 4. de lingua Latina. Liuiio li-
 bro decad. 5. Dionyſio libro 4. Plinio libro 8. capit. 3. L. Floro in
 Epitome libro 19. & Sexto Pompeio, qui & plerumque alia-
 rum meminit.*

*Falerina Tribus apud Liuium lib. 9. & duæ Romæ additæ
 Tribus, Ventina & Falerina. idem Lælius Florus tradidit
 poſt Diodorum Siculum lib. 9. ſic apud Joſephum lib. 13. de
 antiquitate. c. 17. C. Sempronii, C. F. Falerina: mentio ſit expreſ-
 ſa apud Wolphgangum Lazium lib. 5. de Rom. Repub. c. 10. ex-
 tat inſcriptio ex Neapoli, cuius initium:*

LEONVS L. F. FAL.

CELER.

Fabia Tribus. Ex Horatio lib. 1. epiſt. 6. ad Nimiciūm.

Hic multum in Fabia valet, ille Velina.

Suetonius in Auguſto c. 40. Fabianis, & Scaptienſibus tri-
 bulibus ſuis die comitorum, ne quid à quoquam candida-
 to deſiderarent, ſingula millia numū aſſe diuidebat. Extat
 apud Wolphgangum Lazium lib. 9. de Rom. Repub. cap. 5. in-
 ſcriptio quædam ex Aſtria, cuius eſt initium:

C. IVLIVS. C. F. FAB. AN-
 TIOCHVS.

*Galeria Tribus, cuius meminit Plinius lib. 7. c. 49. vite de ſpa-
 cius. ſcribens. Vnus centum quadraginta. M. Mutius. M. F.
 Galeria, Pœlix. Ita etenim legendum eſt, quamuis vulgo
 legatur Galerius. Huius Tribus frequentiffima extat men-
 tio in marmoreis inſcriptionibus. Apud nouam Cartha-
 ginem;*

GN. CORNELIVS. L. F. GAL-
 CINNA II. VIR MVRVM.
 LGNG. P. CH. EX. D. D. FF.

I. Q. P.

Tarraconæ in Hiſpania citeriori;

Q. CÆCILIO GAL. RVFI-
 NO. Q. CÆCILII VALE-
 RIANI. F. SAGVNTINO. OB
 LEGATIONEM. QVA GRA-
 TVITA. APVD MAXIMVM
 PRINCIP. HADRIANVM
 AVG. ROMÆ. EVNCTVS.
 EST P. H. C.

*Lemonia Tribus apud Ciceronem in oratione pro Plancio
 Quid Plancio cum Lemonia idem in Philip. 9. & cum Seru.
 Sulpitius, Q. F. Lemonia Rufus ita de Republ. meritis ſit, &
 apud Wolphgangum Lazium lib. 6. de Roma. Repub. c. 1. extat
 inſcriptio ex Auxino Italiae, cuius eſt initium;*

L. PRESENTINO LEM.
 PARTO.

*Mætia Tribus, aut Mætia, ſiue Mætia ex Cicerone ad Attic.
 Epist. 8. lib. 4. Tribus, inquit, habet Pontinam, Velinam, Mæt-
 tiam, pugnatur acriter. Liuius lib. 8. Tribus propter hos ad-
 ditæ Mætia, & Scaptia. Eſt & Caruallia à Genua ad Mediola-
 num inſcriptio, cuius initium tantum adſcribam,*

Q. ATTIO. T. F. MÆC. PRISCO.

*Narnienſis Tribus, cuius meminere Cicero in oratione con-
 tra Rullum: ab Otriculana vſque ad Narnienſem nomina
 veſtra proponat. Liuius lib. 6. & L. Florus in Epitome. qui-
 bus in locis legitur Armenſis, pro Narnienſis. [vt quidam
 exiſtimarunt: vulgaram tamen lectionē probat Onuphrius
 ex veteribus inſcriptionibus, & ex Arno Tuſciæ amne: que
 & mihi potius placet.]*

*Otriculana Tribus apud Ciceronem in diſta oratione con-
 tra Rullum, ab Otriculana vſque ad Narnienſem.*

*Oſentina Tribus, que & Ventina, & Oſentina: cuius me-
 minere Liuius lib. 9. & L. Florus in Epitome. Tribus duæ ad-
 ditæ Romæ Ventina, & Falerina, & Diodorus Siculus lib.
 9. Extat marmorea inſcriptio, cuius meminit Alcina in Cor-
 nelium Tacitum lib. 16. ex Agro Comenſi.*

L. CALPURNIVS. L. F. OVF.
 FABATVS.

Item Comi in Æde ſanctæ Fidelis.

P. ATILII. F. OVF. SE-
 PTITIANI.

*Palatina Tribus, cuius Mar. Varro, libro 4. Plinius lib. 18. cap
 3. L. Florus in Epitome libro 20. Cicero 3. in Verrem oratione, &
 Afconius Pedianus in 2. meminerunt. Extat inſcriptio Tarra-
 conæ.*

C. MARIO. C. F. PAL. VERO
 GERVNDENſI. omnibus Honoribus ſuncto Flam.
 Prou. Hiſpa. Citer.

Illic & altera,

L. NVMIſſIO. L. F. PAL. MON.

TANO Tarraconen. omnibus honoribus in republ.
 Sua ſuncto Flam. P. H. C.

*Papyria Tribus ex Sexto Pompeio, & T. Liuiio lib. 8. Tribus
 omnes præter Polliam antiquarunt legem Polliæ ſententi-
 a fuit pueros verberatos necari, coniuges liberosque ſub
 corona lege belli venire: memoriamque eius ira, Tuſculani-
 ſis in pena tam atrocis auctores manſiſſe ad patrum æta-
 tem conſtat, nec quenquam ex Pollia Tribu candidatum
 Papyriam ferre ſoluit. Haec Liuius. Sed & marmorea in-
 ſcriptio apud Aſtigin huius Tribus meminit.*

T. DOMITIYS. T. FIL. PAP.
 CLEMENS.

Sed

Sed & aliae inscriptiones illic leguntur, in quibus huius Tribus mentio fit non semel.

Pollia Tribus, ex *Luio libro 8.* proxime citato. & *Val. Max. libro 9. cap. 10.* qui de *Tusculanis* idem quod *Luivius* scribens, quam ob causam, inquit, *Popilia* Tribus, in qua plurimum postea *Tusculani* in civitatem recepti potuerunt, neminem unquam candidatum *Pollis* Tribus fecit magistratum, ex quo loco duo libenter observabimus. *T. Luivium Papyriam* Tribus meminisse in care commemoranda, in qua *Val. Max.* *Popilij* meminere. Item *Latinos*, aliosque *Italiae* populos in civitatem Romanam receptos, in aliquam ex Romanis Tribubus adiectos, conscriptosque fuisse. Sic *Formiani* in *Emilia* Tribus ex *Cicerone* ad *Atticij* *epistol. 19.* *T. Luivio libro 8. decad. 4.* quo in loco inquit, rogatio perlata est, ut in *Emilia* Tribu *Formiani*, & *Fundani*, in *Cornelia* *Arpinates* ferrent.

Pupilia Tribus apud *Val. Max. in d. c. 10.* & *Ciceronem* *epistol. 8. lib. 8. epistol. famul.*

C. SCRIBONIUS. C. F. POF.
CVRIO.

Pontina siue *Pomptina* Tribus ex *Cicerone* ad *Atticum* *epistol. 84.* Tribus habet *Pontinam*, *Velinam*, *Meciam*, pugnatur acriter. Idem *Cicero* in *d. epistol. 8.* *L. Luivius*, *L. F. Pomptinus* item *libro 7.* Eodem anno duae Tribus *Pontina*, & *Publica* additae. Exat & insculptio in *Saltu Mariano*, quam, quia elegans est, integram subiiciam.

C. SVBERIVS C. F. POMPT.
CAELENVS. QUI OCVLVS AB
OCCIDENTE ITALIA AVER-
TENS CVM MVLTIS AMICIS
FRANQVILITATEM EXPE-
CTANTIB. HISPANIAM VENI:
VBI SEVISSIMO COORTO
BELLO MORTEM CVM VITA
COMMVTAVI. VOS FILII IN
VIV. PARENT. PIENTISS. IN
MORTVVM PIENTBORES PA-
TERN. CINERES EX HISPAN-
IA EXPORTATE, COMMVNICE
SEPVLCH. CONDITE, QVO
AVITIS CINERIBVS IMMIXTI
SACRO GAUDEANT ANNI-
VERSARIO PARENTARI.

Publica Tribus, cuius meminit *Luivius libro 7.* extat & de ea *marmorea* inscriptio *Romae*, quae traditur à *Marliano libro 5.* *antiquit. Rom. cap. 6.* quae quidem significat sepulchrum *C. Cestij* septemviri *Epulonum*, ad portam *Hostiensem* moribus urbis inclusa:

C. CESTIVS. L. F. POF. EPVLO.
Pr. Tri. Pl. VII. vir Epulonum.
Est & altera inscriptio *Tergesti* in *Histria*, cuius meminit *Wolphangus Lazius lib. 5. de Rom. rep. cap. 8.*

Q. PETRONIVS. C. F. EVB.
MODESTVS.

Pupina Tribus, ex *Sexto Pompeio*, & *Alexandro ab Alexandro* *libro 8. epistol. famul. epistol. 8.* *C. Septimius*, *T. F. Quirina*. idem *Cicero* in oratione pro *Quintio* inquit. *L. Albinus Sext. F. Quirina*. quo in loco falso legimus *Quirinas*. Exat & *marmorea* inscriptio *Eborae* in domo *Lucii Resendii*, cuius initium est:

L. VOCONIO L. F. QVIR. PAVLO.
Item *Tarracone*.

C. ATTILIO. C. F. QVIR. CRASSO.

Segantino omnibus honoribus in rep. sua functo. *Flam. Prou. Hisp. Citer.*

Alorae in agro *Malacitano*.

C. LACILIO Q. F. QVIR. BASSO.

Ex decreto municipii *Mal. Valeria*. *Q. F. Macrina* vxor honore contenta impensam remisit.

Romulia Tribus, aut *Romilia* ex *M. Varrone libro 4. de lingua Latina*. *Cicero 2. in Verrem* *actione*. Ex eadem familia. *Q. Verré* *Romilia*. Eodem contra *Rullum*. Respondit à *Romilia* Tribu se initium esse facturum. Huius & *Asconius* meminit in eadem 2. in *Verrem* *actione*.

Sabstina Tribus apud *Luivium libro 6.* & *Sextum Pompeium*.

Scapria Tribus, cuius meminit *Suetonius* in *Augusto* *cap. 40.* *Luivius* & *L. Florus libro 8.* item *Sextus Pompeius*.

Sergia Tribus, ex *Alconio Pediano* in *Cornelianis*, *Frontino libro 2. de Aquaductibus*; *Alexandro ab Alexandro*, & *marmoreis* inscriptionibus, quarum una extat in *Rupe Martenii* *Tuccitani* municipii.

Q. IVLIVS. C. F. T. N. SERG.
CELSVS.

Ed. II. vir. Bis de suo dedit
Alteram in eodem oppido.

B. IVLIO L. F. SERG. CULLEONI.

II. Viro, Col. Aug. Gem.

Stellana Tribus ex *Luivio libro 6.* & *marmoreis* inscriptionibus quarum duae extant *Urbini*, earumque initia subiiciam.

C. VESINO C. F. STEL. VINDICI.
C. CESTIO. C. F. STEL. SABINA.

Suburrana Tribus, cuius meminere *M. Varro libro 4. Sextus Pompeius*, *Plinius libro 18. cap. 3.* *Dionysius Halicarn. lib. 4.* & *Lacius Florus* in epitom. *lib. 20.* Hanc vero tribum *Suburbanam* appellavit *Varro*, quod ea sic olim dicta fuerit. Sed & idem censet à regione *Urbis Succosa*, dici *Succulanam*, atque ideo scribi *tertia litera C.* non *B.* quod *Quintilianus* explicat *lib. 1. cap. 13.* scribens, *Suburra*, cum tribus literis notatur, *Cacertiam* ostendere, quo fit, ut his literis, *Suc. Suburrana* Tribum intelligamus. Exat inter *Urbis Romae* inscriptiones & epigrammata inscriptio haec:

D. M.
M. CAECILIO S. P. S. V. C.
RV. F. SOLIARIO. AB. LV.
CO. S. RM. E. S. EX. TESTA-
MENTO. EIVS. CALVISTIA
ZOSIMAE. ET M. CAECILIVS
CALIPPVS. HAREDES.
F. E. C. R. V. N. T.

Huius item tribus mentio fit in alia inscriptione, quae *Romae* extat ante *Arcum Septimij Severi Augusti*, eiusque meminit *Onuphrius Veronenis* in *commentariis* *Reip. Romae*. quo in loco tribus his literis, *Suc.* significatur. Sed & is *author* aliam tradit inscriptionem, in qua eadem tribus per *B.* literam scribitur hisce literis: *svb*.

Tirentina Tribus apud *Ciceronem* in oratione pro *Plancio*, non enim tribum *Terentianam*, *Luivium libro 10.* *L. Florus* in *Epitome*. Et rursum *Ciceronem* *lib. 8. epistol. famul. epistol. 8. M. Oppian. M. F. Ter. id est*, ex tribu *Terentiana*.

Tromentina Tribus ex *Sexto*. *Pomp.* & *T. Luivio libro 6.* apud quem corrupte legitur *Pomentina*: sicut & apud *L. Florus* *Promentina*: Exat *marmorea* inscriptio apud *Caetam*.

E. ATILIO. L. F. TROM.
Et *Tarracone*.

E. GRAVIO. ROMANO. VIVIO.
TROM. SECVNDO. TRIB.
LEG. III. AVG. FLAMINI.
PROV. HIST. CITER.
L. AEMILIVS. SATVRNINVS.

Felina Tribus: cuius meminere *Cicero*. ad *Atticum* *epistol. 84.* tribus habet, *Pontinam*, *Velinam*, *Meciam*. idem *Cicero* *Bruto*: *Prudens* etiam *T. Annius Velina* *Horatius libro 1. epistol. Molarum*. ad *Numicium*:

Hic multum in *Fabia* valet: ille *Volina*.

Perlius Satyra 5.

Libertate opus est, non hac, qua quisque *Volina*.

Publius emeruit *Scabiosum* *refferunt* *far.*

Inscripção item *Marmorea Tarraconae*,

L. AVFIDIO. Q. F. FELINA, SECVNDO PALMENSIS
OMNIBVS HONORIBVS IN REPV. SVA EVNCTO
FLAM. P. H. C.

Volitina Tribus ex *Cicerone* pro *Gn. Pancio*. tu autem. *Late* *Verenlis* quas Tribus edididisti? *Terentinam* credo, aut *Volitinam*. & ex lapide, qui *Venetis* est in *zede*, *Vitalis*:

CN. NVMERIVS CN. F. VOLFRONTO.

Et alio lapide *Veronae* apud *diuum Fulorianum*.

C. LICVRIVS. L. F. VOL ASPER.

Exat integra inscriptio apud *Rhenanum* *libro tertio de rebus Germ.*

Vicentina Tribus apud *Ciceronem* pro *Gn. Plancio*. *Quid inquit*, cum *Vicentina*:

Apocrion, hunc vicum tribus Agidos, & Lucianus in Timote tribus Ezechtheidos esse subindicauerunt. Apud Demosthenem in orat. contra Boetum de nomine, Thoricus vicus tribuitur Acamanthi tribui. Dic mihi Boeote, qua ratione nunc in Acamanthidem tribum translatus es, & vicum Thoricum, & factus Mantia filius, & portionem relicta ab eo hereditatis habes? Quo in loco rursus Hieronymus Wolphius interpretatur municipium: cum Thoricus vicus sit ipsius vrbis Athenarum, non municipi Plutarchus in Pericle: inquit, ex tribu Acamanthide, vico autem Cholargensi. Apud eundem in Aristide, Aristides Lysimachi F. ex tribu Antiochide, & vico Alopece, item in Themistocle, Themistocles Neoclis F. ex tribu Leontide & vico Phreario. idem Plutarchus in Cimone scribit, Cimone Miltiadis F. ex tribu Oeneide, & vico Lacia. Unde dicitur est Laciades. Et eadem ratione qui ex eodem vico erant didi sunt Laciadae à Cicerone libro. 2. de officiis, ex Theophrasto. Ex eodem Plutarcho constat, Phocionem Atheniensem fuisse ex vico Melita: & ideo tribus Cecropidos, auctoribus Suida, & Stephano, qui & Laciadarum meminit ex tribu Oeneide. apud Lucianum in meretricio dialogo Dorido, Polemon miles Strienensis dicitur, & tribus Pandionia, siquidem Stria vicus fuit eiusdem tribus, auctore Suida. Vicos veru nomina habuisse par est à locis, à quibus originem duxere: qua ratione Phyle vicus tribus Oeneidos, auctore Suida, fortassis nomen habuit à Phyle Castello ipsius Atticae munitissimo, cuius idem Suidas itidem meminit, meminere & Isocrates in oratione de pace: Diodorus Siculus libro. 14. Alcines contra Ctesiphonem, & Andocides de mysteriis. Demosthenes in oratione de corona Æmilii Probus in Thrasybulo, Plutarchus in Demetrio, idem in Lyfandro, & Xenophon in 2. Hellen corum. Decelia item vicus, qui auctore Stephano post Lysiam Rhetorem in oratione contra Panceleonem fuit tribus Hippothontidis, nomen habuit à Decelia oppido ipsius Atticae, à quo & bellum Decelium, de quo plerique auctores tractauerunt, præ cæteris Diodorus Siculus libro. 23. Thucydides libro. 7. & Plutarchus in Alcibiade. Hoc ipsum & de Spetio, atque Agnatio, vicis tribus Acamanthidos auctore Suida, adnotari poterit, si ea, quæ scribit Plutarchus in Theso, vbi de Pallathidibus agit, obseruauerimus. Nam & Strabo libro nono. memorie tradit. Cecropem primu multitudinem Atheniensium in duodecim Atticae oppida habitanda digessisse, quæ Thefeus in vnam Athenarum ciuitatem denuo congregauit: atque ille horum oppidorum nomina commemorat, qua vicis Atheniensibus conuenire videntur, sicuti & quod paulo ante idem auctor retulit de numero Atheniensium pagorum ad vicos potius, quam ad tribus pertinere, cum receptum sit, Atheniensium vrbem etiam Strabonis ætate decem tantum aut duodecim tribus habuisse. idem quod de Thefeo scribit, atque Diodorus Siculus libro quarto. tradit & Stephanus in libro de vrbibus, ex Characis monumentis. nisi quod vndecim tantum oppida fuisse commemorat, quæ in vnam Athenarum vrbem Thefeus congregauit, illa ex hoc celebritate instituta, quæ ab Atheniensibus Synecia plurali numero dicitur. Verum ex Isocrate in Areopagico illud plane deducitur, veteres Atheniensis Reipublicæ institutores vrbem ipsam in tribus, regionem in vicos, aut pagos partitos fuisse, vt hic liceat non temere obseruare hos vicos, aut pagos certa constituta ratione ad ciuitatis tribus pertinuisse. Nam & Pausanias in Atticis dum vicorum meminit, eos extra vrbem esse censuit. idem scribit Eustathius in nauium catalogo. idque Thucydides significare videtur lib. 2. quo in loco in loco vici meminit, vbi dicebatur Achra: & Aristophanis interpres in Ranis scribens, Tithrasium vicum Atheniensem hoc nomē accepisse à Tichante Pandionis filio, & in Agidiatibus distributum fuisse. Idem ex Herodoto in Terpichore ribenter ipse adnotauerim, dum is author meminit vicorum Atheniensium, qui dicti fuere Oeone, & Hyfia: & ex eodem libro vltimo, vbi Decelium mentionem facit. Sed & Iulius Pollux libro nono 24. 1. vicos, qui dicuntur Græce dicuntur, etiam extra vrbem constituit. Vici vero, qui dicebantur Achra: meminit & Pindarus in Nemis Ode. 2. quo in Iseo apud interpretem Acarnan tribuit Æantidi tribui: interpretem autem ab eo dissentiens tribuit Oenopidi: cui nulla mentio est apud auctores, qui de tribus Atheniensibus scripserunt. qua ratione cetero, sic locum illum castigandum esse, vt de Oenigide tribu intel-

ligatur: cum & Stephanus de vrbibus hunc vicum Oenigide tribui adferbat. Sic sane Hebraei habuerunt quatuor tribus: & quatuor, quas cognationes, & familias iuxta quadam ratione dixerunt Latini interpretes nu. 1. cap. 17. Præter hæc, & ant, conitatur etiam ex sacra historia: Hebraeorum gentem habitasse, atque tribum quamlibet vrbes, oppida, & pagos distinctos habuisse.

Hic sane prænotatis, quo facilius Iurisconsulti responsu interpretemur, Ichola quadam illi adiciam, ex quibus sententia eius intellectum, ac sensum commodius, ac diligentius quam ex Accursio, Bart. Alber. & aliis percipiet.

Patronus, inquit Scaeuola, liberto. Serui etenim quamvis manumitterentur à dominis, non statim ciues Romani efficiantur. Siquidem hi tantum cum liberate ciuitatem adquirebant, qui vincita, testamento, aut censu manumitterentur: reliqui vero, etsi liberi forent per manumissionem, ciues tamen Romani non erant. Vindicta vero manumissionem, manumitterentur apud Mergilstratum, censum vero ex eo, quod seruus iustus dominorum nomen suum in censum vrbis Romæ detulisset: non statim quidem, sed ipso Iustri tantum censu, solenni ac Iustri sacrificio peracto: quod ex Vlpiano in fragmentis. Cicerone in Topicis, & libro primo de Orat. adnotantur Charondas ad Vlpianum, & Antonius Cont. li. 2. de testamento. cap. 9. testamento autē qui à domino vltima eius voluntate testamento, aut codicillis liberatus iustus fuit, simul cū libertate ciuitatem Romanam adquirebantur. Liberti autem dediti, id est qui tempore seruitutis in aliquo vitium incidissent, cuius causa illud confessi notis in aliquo, & stigmatibus compuncti, vel in publica vincula coniecti, verberibus & affecti, ac deinde gratia cum domino in manu missi ab eo fuerint, nec iure ciues Romani per manumissionem efficiebantur, hinc iure ordinario fieri poterat, Suetonius in Augusto 140. Seruos non contentus multis difficultatibus à libertate iusta remouisse: quum & de numero, & de conditione, ac differētia eorum, qui manumitterentur, curiose cauisset, hoc quoque adiecit, ne vincētus vnquam, tortusve quis vllō libertatis genere ciuitate adquiretetur. Latini autem liberti, quorum melior & honestior fuit conditio, eodem modo ciuitatem non habebant, eam tamen habere poterant. Hæc breuiter adnotauimus ex Caio primo suarum Institutionum, Theophilo Institutione de libertis §. Et deditis. ex Iulio Paulo libro 4. sententiarum. 11. Angel. Polit. cap. 84. Miscell. Alciato libro. 1. parerg. c. 14. 15. & 16. Zafio in 2. fide orig. sur. in ver. vindic. & Franc. Conna. li. 2. Commentariorum. c. 4. §. 6. Dicebatur & hi liberti conditionis liberti ex lege Iulia Norbana quod Alciatus li. 10. parer. c. 7. ad monet, & collat ex Iustiniano in §. Libertinorum Inst. de liber. & Boetio in Topicis. Latini autem liberti, quibusq; solenne manumissionis decretum fuit aut per epistolam, aut inter amicos, aut cōiuii adhibitionem, id est, cū seruus assidet mēse domini: quod erat signū date à domino libertatis. Libertis vero deditis & Latinis hoc commune erat, quod nec testamento capere, nec dare poterant: quia ciues Romani non erant. Quod in specie Caus probat in suis Institutionibus lib. 1. de stat. hom. [tradit & ex Saluiano Massiliensi Episcopo Jacob. Ciuius li. 4. obser. c. 1.] Et alii ex eo tradidere. Latinarum etenim quorum melior conditio erat, nullæ penitus erant legitimæ successiones. Quia licet, vt liberi vitam suam peragebant, at tamen ipso vltimo spiritu simul vitam, atque libertatem amittebant & quasi seruorum eorum bona iure quodammodo peculi ex lege Iulia Norbana manumissores detinebant. §. h. neque, Inst. de success. liberr.

Verum & ex his libertis, qui olim ciuitatem adquirebantur sola ipsa manumissione, reliquos ciues ingenuos privilegii, & honoribus non equiparabant. Nam in postremam tribum reiecti, nullam habebant in suffragiis auctoritatem: quod raro accideret, vt ad eos vsque descendendum foret. Iulius Hostilius Rex, auctore Dionysio, lib. 4. libertos omnes qui à domino manumissi fuissent, ciuitatem statim consequi, & in quatuor vrbibus tribus censeri, lege lata sanxit. Idque ad eos vsque ætatem obtinuisse ipse Dionysius scribit. sed & Alconius in oratione pro Milone testis est, libertinos in quatuor vrbibus tribus suffragium tulisse. Lucius Florus in epitom. lib. 20. Libertini, inquit in quatuor tribus redacti sunt. cum antea dispersi fuissent. Esquilinam, Palatinam, Suburanam, Collinam.

ciuis Romanus esset: tribum tamē Romanam nondum haberet, in qua censetur, principumque & Reipubl. largitates obtineret, ex eo, quod libertis etiā iusta manumissione manumissis, tribus Romana minime Romanorum legibus concessa foret, & ideo eam sibi emi, aut beneficio Principis vel Republicae adquiri oportebat. Nam de libertinis libertorum filii ipse Taurillus intelligit quae Lilius. L. Florus, & Afcionius memoria prodidere. Atque ita verum est, hos auctores de Libertis traxisse, & tamen Dionysius, ac Plutarch. de ipsis libertis scripsere, quae nos paulo ante retulimus nisi Gregos auctores de Libertis, id est de filiis Libertorum veli quāquam intelligere, quod dictionis significationi refragatur, Titio Lilius, qui lib. 5. de caed. 5. libertinos hac in re libertos etiam ipsos significari sensit, dum inquit: Postremo eo descensum est, ut ex quatuor vrbanis tribubus vnam palam in atrio libertatis fortiterent, inquam omnes qui seruitutem seruissent, conicerent. Eiquilina fors exiit, in ea T. Gracchus pronunciauit libertinos omnes cedere placere. Sed & libertinus frequentissimo Latina lingua vlti libertū ipsum significat, & olim significauit: quod lib. 4. Elegantiarum Valla probat. ca. 1. & Iustinianus inquit, Libertinus est, qui ex iusta seruitute manumissus est, in princip. Instit. de libertinis. Et in princip. Instit. de ingenuis. Caius item Iurifconsultus in Libertini ff. de statu homin.

Quaratione omnino erat obseruandum, non omnes ciues Romanos eiusdem conditionis fuisse, nec eatura, quae veri, & natura ciues Romani habuerunt, habuisse: quem admodum Andr. Alcia alio in tracta. diligentissime docet lib. 2. dispensat. 21. Ex quo ipse adnotauerim. Italicis & Latinis olim, quod viciniore Romanis essent, indultū fuisse non tantum ius Latii veteris, neque, vt in legione Romana militare possent, in eaque magistratus gerere, sed & ipsis in societatem adsumptis ius etiam adipiscendi honores in vrbe Romana, vtque cum Romanis tribubus suffragia ferret. Vnde plerunque & ipsi Latini, magistratus eligebantur: & ea ex causa ius ciuitatis Romanae, non tantum à tribubus debentur habere: quod & Afcionius Padianus in oratione in L. Pisonē scripserat. Erantque ipsi Latini sicuti Romani à vectigalibus, multis, & tributis, capitationibusque immunis: & hoc est ius Latij & ius Italicū. & ciuitatis Romanae, cuius Iurifconsulti plerunque meminere: quod & alia iura cōplectebatur, scilicet, vt ciuis hic Romanus flagris subici ex delicto non posset. Afcion. cap. 22. tamen quandoque ius Romanae ciuitatis pluribus nationibus datum fuerit honoris potius causa, & vt aliqua consequerentur cōmoda, non tamen ea omnia, quae veri, & natura ciues Romani obtinebant: quod explicat Wolphgangus Lazius de Repu. Rom. li. 12. ca. 1. Nam licet Galli ciuitatem Romanam adepti forent, ius tamen adipiscendi honores, aliquandiu illis detractum fuit, donec Aulo Vitellio, & L. Vipiano Coss. Claudius Imperator vniuersa Gallia comata illud quoque indulsit, teste Cornelio Tacito lib. 11. quamobrem idem Alciatus Pii Antonij constitutionem, cuius meminere Iurifconsultus in l. in vrbe Romano. ff. de statu homin. & Iustinianus in athen. vt liberti. de cetero annul. sur. non indige. ont. & quia ciuitas Romana omnibus Romano Imperio subditis tributa est, ita intellexit, vt non censetur omnibus his data immunitas à tributis, & vectigalibus, quae vere Romanis, & natura ciuibus competeat, etiam si alia multa iura sub ea concessione venierint. Suetonius in Augusto cap. 49. Ciuitatem, inquit, Romanam parcissime dedit, & Livia pro quodam tributario Gallo roganti ciuitatem negauit, immunitatem obtulit, affirmans, se facilius passorū fisco detrahi aliquid, quam ciuitatis Romanae vulgari honori. Hæc Suetonius Ex quo constat, ius ciuitatis Romanae, quo ad omnia eius privilegia, commoda, & honores, parcissime dari solere. Eadem ratione, vt opinor, quamvis liberti ciuitatē Romanam fuerint ex iusta manumissione consecuti, non tamen ea omnia statim consequerentur, quae veris ciuibus Romanis competeant. Nam & ante Iustinianum liberti à principe ius impetrabant aureorū annulorum, restitutionem natalium, quemadmodum apparet ex tit. de iure aureo, annulo. & de natal. restitu. Licet hæc Iustinianus in d. Nouella in vniuersum libertis omnibus concesserit. Sic itidem existimo, libertos, etiā iusta manumissione manumissos, ex eaque ciues Romanos factos ciuitatem quidem consequi ad plura profecto commoda, non tamen ad ea omnia, quae veris Romani ciuibus, & ingenuis competeant,

& ideo nec quemlibet libertum in tribu Romana censeri, nec eam habuisse ex sola manumissione, & iure ciuitatis Romanae: siquidem ætate Vlpiani, Scaeuolæ, & Pauli Iurifconsultorum tam ex Pii Antonini constitutione omnes erant ciues Romani effecti, quicumque in orbe Romano reseræ, maximæ vtilitatis censentur. Non enim omnes ciues Romani tribum habuerunt, non illi, qui ex beneficio speciali beneficio principum, aut Republicae idem ius antea fuerat consecuti, sed tantum ciues vere Romani, vel qui præter Romanam ciuitatis ius, etiam tribus à Caesaribus vel à Reipub. impetrauerant. Igitur quod Lilius, Florus, & Afcionius, Dionysius & Plutarch. scripsere, de his libertis erit accipiendum, qui Romæ à ciuibus Romanis manumittebantur, vt veri ciues Romani fierent, & in ea vrbe habitarent in patriam ad habitationem minime redituri. Alioqui liberti in prouinciis à Romanis ciuibus manumissis: quamuis ciues Romani essent ex ea manumissione, & testari possent, tribum tamen Romanam minime allequebantur, nisi vel emptione, vel beneficio Caesaris aut Republicae eam obtinerent. Plin. lib. 10. Epist. à Traiano ius Quiritium Latinis suis petit, idque à Cætare illi animo indigentissimo concessum fuit, vt inde coniectare liceat Latinos illos ciues Romanos vere factos fuisse.

[Hæc plane adnotauimus vt ius proprium & perfectum ciuitatis Romanae ab aliis iuribus distinctum esse probaremus, sed & Ius Latii à iure Italico in aliquo differre adnotari solet ex Afcionio, & aliis, de quo Carolus Sigonius in lib. de iur. Italiae. & Cuiac lib. 10. obseru. cap. 35. diligenter tractauerunt: post Alexand. ab Alex. lib. diu. general. 4. cap. 10. Illud profecto adnotauerim obiter, quibusdam doctissimis viris Etymologiā huius nominis Hidalgo, quo Hispani nobilitatem appellamus, diligenter, & serio inquirentibus, placuisse ab Italico dictum fuisse Hidalgo, quasi immunem à tributis & aliis indictionibus Reipubl. ex eo præferri, quod & olim in Hispania Pacentes & Emeritenses, Valentini, & Illicitani iuris Italici fuerint, teste Paulo Iurif. in l. in Lusitania. ff. de censib. Huius vero Etymologiæ primus auctor, quod ipse sciam, fuit Genesius Sepulveda in Epist. ad regem Philippū, vt quidem Graece & Latine apprime doctus, omni genere scientiarum, quo ad humanam & diuinam Philosophiam attinet, insigniter eruditus. Verum quantum licuerit his, qui Etymos scrutantur, satis comperit est his, qui M. Varonem, Isidorum apud Latinos, & Etymologicum quod vocant magnum apud Graecos legerint Mihi plane, ingenue fateor, nusquam hæc ratio nominis satis feci existimo enim eam, vt ingeniose ab antiquitate deductam, sic à vera Hispani nominis origine dubio procul alienam esse. Ius etenim Italicum ad immunitatem ab indictionibus & tributis pertinere nō negauerim, sic tamē vt ad ignobiles pariter & nobiles referatur: præterquā quod ius istud Italicū, & alia præter dictā immunitatem cōplectitur, sicut & nobilitas, quæ Hidalgo dicitur, multa privilegia iure obtinet, quæ nō omnibus de populo, sed tantū nobilibus lege humana cōcessa fuerit. Constatque nomē istud sic esse nobilitati proprium, vt ad eos, qui alio quam nobilitatis iure, vel privilegio immunes à tributis censentur, minime pertineat. Exemptio enim hi, ab Hidalgo maxime differunt Sic sane & nobiles, qui ex lege alicubi non sunt à tributis immunes, imo speciali quadam ratione, vt in Wandalia cōtingit, tributa soluere coguntur, vt nobiles sunt. Vnde ad veram nobilitatem non pertinet necessario hæc à tributis exemptio, cum ea sit accedens nobilitati privilegium, ex diuersis legibus prouinciariam. Atque ideo vt tantum nobilibus hæc competit exemptio, signum est nobilitatis, hæc nunquam tributa soluisse. At vbi omnes tam nobiles quam ignobiles à tributis eximuntur, & vbi nobiles & ignobiles tributa soluere coguntur, alia sunt iudicia ad probandam nobilitatem exigenda: nam vbi nobiles tributa soluere consueverit, non erit ignobilitatis indicium tributa soluisse. Deniq; his & aliis rationibus, quas modo nō vacat adducere, existimo cōstare apud Hispanos nomen hoc Hidalgo ad nobilitatis conditionē omnino referendum esse. Quod autē l. 3. tit. 2. par. 2. docet esse quidē aliquē Hidalgo, qui tamen nobilis non sit, in eum sensum accipiendū erit, vt quāvis genitus ex patre nobili, Hidalgo quidē ex matre tamē ignobili, quæ Hidalgia non sit, nobilis dicitur.

fortassis ex eo, quamvis ipse hoc amplius nō explicet, quod licet clarissimi Tomæ tribum haberent ex Sueton. in Augusto cap. 40. suffragium tamen in eligendis magistratibus minime ferebant, nec ex Reipublicæ, & Principum legatione frumentarias tesseras, quæ plebi Romanæ quolibet mensē dabantur, poterant habere. Hæc enim & his similia propria plebis erant: non Senatorii ordinis, nec clarissimorum, quibus minime cōveniebat: imo esset illis probro, ac ignominia, si cum plebeis æquarentur. Quamquam idem Suetonius in Domitiano c. 4. scripserit, dieq; proximo omne genus rerum miscilia sparsit, & quia pars maior inter popularia dicerat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos Equestris, ac Senatorii ordinis pronūciavit. Hoc etenim ad miscilia pertinet. Sic sane dubium erat apud Scauolam an vir clarissimus hæres liberti consequi posset, vt illius hæres ea omnia, quæ iure proprio minime habere potuisset, nec honeste habere poterat.

Respondi debet. Tribus etenim legatario eo iam mortuo emi nō poterat, vt testator iusserat: quod Accursius & plerique censent, idque vere his rationibus, quas superius adduximus: nec liberti hæres eo legato indigebat, imo nec poterat, nisi quo ad æstimationem, illud obtinere, quia clarissimus erat. Quod si libertus hæredem reliquisset filium qui commode posset tribum consequi, & voluntas testatoris aliqua ex causa minime refragaretur hæredi foret emenda tribus, tamen si Iurisconsulto hoc in loco non tractetur, an sit soluenda æstimatio vel ipsa tribus præcise emenda per heredem patroni, cum emptio utilis foret hæredi liberti: sed illud tantum in controuersiam incidit, an teneatur patroni hæres ad æstimationem, vbi tribus, nec emi poterat, nec eius emptio utilis erat hæredi liberti. Qua ratione Bar. fallitur, cum exilimatur patroni hæredē ad factum ex legato teneri, & ideo post moram ad interesse, quia, vt inquit Cuma, solum deberetur tunc æstimatio tribus, non autem commoda, aliæque liberalitates. *l. si catidid. ff. de re iudic. l. fundum. ff. de negotio. &* quia vere patroni hæres si libertus viueret, cogi posset præcise tribum emere, argumento deducto ex *l. fideicommissi. ff. de legat. 3.* & ex his, quæ traduntur in *l. stipulatione non diuidatur. ff. de verborum oblig.* à Bart. Alex. & Iac. nu. 32. à quibus, & aliis frequentius receptum est, teneri quem ad factum præcise, nec liberari præstando interesse, siue id quod interest, vbi ex vltima voluntate, & testatoris iussu tenetur facere.

Commoda, & principales liberalitates. Nempse tesseras frumentarias, numarias, miscilia, aliasque Reipublicæ & principū largitiones. Nam sicuti tessera frumentaria symbolum erat, plumbeum, æreum, aut signeum, cui inscripta erat nota, qua summa frumenti significabatur, sic & tessera numaria idē symbolum erat cum nota summam accipiendæ pecuniæ significante, quod ex multis Suetonii locis lector facillime poterit intelligere, & Xiphilino in Tito.

Respondi, quidquid ipse consecutus esset. Nec tamen vsuræ debentur æstimationis: cum sit satis æstimationem dari, & omnia illa commoda, quæ si statim mortuo testatore solum esset legatū, vel emptā fuisset tribus, legatarius consecutus esset, idem enim est, ac si ab initio data foret tribus æstimatio, & ideo eius quantitatis vsuræ non debentur, nec vt vsuræ olim apud Ethnicos, nec apud Christianos ratione eius, quod interest. Si quidem soluta quantitate quæ debetur, vsuræ ab eo die minime veniunt in cōdemnationē.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Institium & Celsi Iurisconsulti responsa de Hippocentauri stipulatione ex varijs auctoribus examinantur.

Institium libro 3. Institutionum. cit. de inutilib. stipulat. inutilem esse docuit stipulationem, qua id promittitur, quod natura esse non potest, veluti si quis Hippocentaurum fuerit stipulatus, qui natura quidem esse non potest. Idem Celsus respondit in *l. si stipulatus. ff. de verbor. obligat.* quibus Cicero ad stipulatur, in libro 1. Tusculanarum. nu. 142. qui enim, inquit, satis viderit id, quod est luce clarius, animo, & corpore cōsumptoque animante delecto, & factō interitu vniverso, illud animal, quod fuerit factum esse nihil: is plane perspiciet inter Hippocentaurum, qui nunquam fuerit, & Regem Agamem nomen nihil interesse, nec pluris nunc facere M. Camillum hoc civile bellum, quam illo viuo ego fecerim

Romam captam. Idem Cicero *li. 1. de natura deorum. num. 149.* Nam si tantummodo ad cogitationem valent: nec habent vllam soliditatem, nec eminentiam, quid interest, vtrum de Hippocentauris, an de eo cogitemus? Idem *li. 2. nu. 7.* Etenim extabuisset. Quis enim Hippocentaurum fuisse, aut Chimæroratione quadā equites laudasse, maximeque admiratum fuisse, scilicet quæ existimasse Hippocentaurum animal, si id natura esse non posse. Idem ex Galeno in *li. 3. cap. 1. de vita partium* probare conatur Andreas Alciatus *li. 9. parerg. c. 13.* diuus Augusti *li. 18. de ciuitate Dei, cap. 13.* de Centauris fabulam fuisse conscriptam scribit, quod equorum hominumque fuerit natura coniuncta. Hoc ipsum & Lucretius *li. 5. de natura rerum.* ostendere videtur.

Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in vlllo esse queunt, duplici natura, & corpore bino.

Et rursus:

Ne forte ex homine, veterino semine equorum. Conspicere credas Centauros posse, nec esse.

Sed hoc esse contra fidem historiarum afferuerat Ioan. Corneus *lib. 5. Miscel. cap. 2.* ex eo, quod Plinius Veronensis *li. 7. cap. 4.* Claudium Cæsarem scribat, memoriam prodidisse, Hippocentaurū in Thessalia natū, eodē die interiisse. Et nos, addit Plinius, principatu eius allatū illi ex Aegypto in melle vidimus. Cuius rei meminit & Phlegon Cælaris libertus, idem & Trallianus in libello, *de mirabilib. & longauis.* Diuus Hieron. in *vita. Pauli. eremita* auctor est, Antonium eremitam Hippocentaurum, & Satyrum in eremo vidisse. Nec plura his inquit, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poetarum Hippocenturo vocabulum indidit. Quo vilo salutaris impressione signi armat frontem. Et heus tu, inquit, quam in parte ferus Dei hic habitat? At ille barbarum nescio quid infrensens, & frangens potius verba, quam proloquens indicat iter. Et sic patentēs campos volucris transmittens fuga ex oculis mirantis euanuit. Verum hæc vtrum diabolus aut terrendum eum simulauerit, an vt solet eremus monstruosorum animalium ferax, istā quoque gignat bestiam, incertū habemus, stupens itaque Antonius, & de eo quod viderat secum voluens, vltimus progreditur, Nec mora, inter saxosam conuallem haud grandem homunculum videt aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractusque & hoc Antonius spectaculo scutum fidei, & loriceam spei, vt bonus præliator arripuit. Nihilominus memoratum animal, palmarū fructus eidem ad viaticū, quasi pacis obfides affererat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum acceperit, Mortalis ego sum & vnus ex acolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque, & incubos vocans colit, legatione fungor gregis mei, precamur vt nobis commūne Deum deprecetis, quē pro salute mundi venisse cognouimus.

Hæc Hieronymus. Sed & de Satyris. Plutarchus in Sylla scribit, prope Apolloniam captum à militibus Satyrum ad Syllam adductum, & quisnam esset per interpretes interrogatum, vix quidquam quod intelligi posset, pronunciat se potiusque vocem asperam equi hinnitusque balam permixtā emisisse, ab ipsoque Sylla fuisse dimissum. Sed & Satyros esse idem Plutarchus in Numa, Plinius *li. 7. ca. 21. & li. 6. cap. 30. & li. 8. cap. 54.* Mela, & Solinus, Philostratus in Apollonio *li. 6.* & plerique tradidere. Sed hæc, & quæ Pausanias de Satyrorum in stula in Atticis scribit, fabulosa esse existimo, hisque similia, quæ Lucianus de veri narrationibus venuste quidem, & eleganter confinxerit. Illud sane obseruandum erit centauros prope Pelū Thessaliæ montem habitantes primum equos aut subegisse, aut ad equitandum domuisse, auctore Diodoro Siculo *li. 5.* Nam & Pælarapharocis *li. 1. incredibilium.* scribit, Ixonem regem, cum tauri præferoces Larissam, & eam Thessaliæ regionem vasserent, præmiū proposuisse his, qui tauros arcerent, iuuenescere è Nephelæ pago equos manifestatos conscendisse taurosque illos abegisse. Vnde dicti fuere centaurs, dicitur *πυροσφύδες* à pungendis quidē & stimulandis tauris, Idem fere Seruius in illud Virgilit *lib. 3. Georgicorum.*

Frena Petronii lapinæ, pyrrospue dedere.

Ex his dicti Hippocentauri qui inter eos forent stimulandis